



DISCUSSIO CALUMNIARUM SAMUELIS PUFENDORFII,



est qui sui ipsius, suorumq; se delectantium errorum laude, juxta atque protervâ quadam in dissentientes maledicentiâ, ingenium suum hoc seculo nostro pro-

tulerit; is certè Samuel quidam Pufendorfius est: Patre Pastore pagi Flöh, Diæceseos Chemnicensis, in Misnia quæ est, oriundus: Studiosus primum Theologiæ: qui plures in patria conciones sacras habuit. Pædagogis autem cum propter rem angustam domi, victum ruri primùm, Lipsiæque deinde, mox Jenæ quæriraret; laudioris cujusdam conditionis spes in Suecia ipsi, per Fratrem ibidem se tenentem, ostendebatur. Quo cum venisset, vir quidam aulicus, Calvinianæ ab incunabulis innutritus immoratusque Religioni, filios ipsi suos literis formandos tradidit. Studio itaque Theologico abjecto, Politicæ totum se dedit. Hæc verò disciplina, cum fusiùs tradita, in Jus Naturæ, naturalemque ex parte abeat Theologiam, ab aratro, manum cui admoverat, citiùs respiciens, quàm offendicula Hæreticorum, circa doctrinam hanc foveasq; cognovisset; Zizaniâ Hobbesiano-Socinianâ, politicis quæ sparsa fuerat libris, velut re nova quadam totus abripiebatur: eandemque titulo Philosophiæ, non legere solùm rectè, sed quoque disseminare

A

se

Handwritten mark or signature in the bottom right corner.